

# Kamil Kantak

---

## Capitula necnon Constitutiones FF. Minorum Observantium (Bernardinorum) Provinciae Poloniae 1453 (1467) - 1628

---

Collectanea Theologica 15/4, 449-493

---

1934

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

**CAPITULA NECNON CONSTITUTIONES  
FF. MINORUM OBSERVANTIUM  
(BERNARDINORUM) PROVINCIAE POLONIAE  
1453 (1467)—1628.**

De constitutionibus Bernardinorum epoches ante-tridentinae iam scripsimus a. 1929 in hisce Collectaneis pg. 261—3. Ibidem dedimus quoque brevissimum conspectum capitulorum. Ex hoc tempore inventorum materialium gratia<sup>1)</sup> possumus thema hoc dilatare et approfondare, in nonnullis corrigere, atque protraximus nostrum studium ad a. 1628 quadripartitionis provinciae. Quod opusculum iam conscriptum ante duos annos per infortunium quoddam demum nunc in lucem prodit; pertinet quidem ad substructuram nostri libri de Bernardinis (Leopoli 1933).

---

<sup>1)</sup> Sunt manuscripta conventus S. Isidori Romae nr. 1/84, 192v-4v De hys que agenda sunt in capitulo provinciali (ca 1550); Bibl. Kornik nr. 97 et nr. 101. 97 continet decreta cap. gen. Assisii pro Polonia 1487 fol. 135v; constitutiones Ludovici de la Torre 1488 f. 149v—152v; admonitiones vicarii Bal 1483 f 152v—153; decreta cap. 1478, 1491, 1499, 1502 f 154—6v. Nr. 101 continet i. a. f 1 Exhortatio\*pro eligendo discreti (s) ad cap. prou.; f 17 Littere ad cap. vocatoriae; f 22 Electio diffinitorum; f 22v Electio ministri; f 24 Electio discreti ad cap. gen.; f 24v Forma tabula capituli; f 96 Ordinationes ad confraternitatem; f 159 Concordia inter Lithuanos et Polonos per fr. Casparem de Chrems; f 167 Ordinationes cap. gen. pro Lithuanis et Polonis 1529; f 173 Ordinationes cap. Opathouiensis (1557); nr. 95 Tow. Przyj. Nauk. pozn. f 1—38 Constitutiones (1524 vel 1527), f 39 Decreta cap. Kazimierz 1538. Aliae abbreviaturae a) bibliothecarum et manuscriptorum: BeK Bernardinorum Cracoviae: Top. Chronicon provinciae 1585 sq. TW Metrica FF. Mi Wiln.; BeL Bernardinorum Leopoli: Digon Chronologia prov. Mino. Pol. etc. A Kaminński Annales I—V; Cz Principum Czartoryski Cracoviae, numeri significant signaturam; Ko Kórnik; Ba w Baworowski Leopoli; Os Ossoliński Leopoli; UL Universitatis Leopoli; Po d Archivum Archidioecesanum Poznań; TPN po Tow. Przyjaciół Nauk Poznań; Is ctus

## I CAPITULA.

Pro toto hoc tempore 1453—1628 non habemus, nisi unica acta capituli a. 1520, a ministro generali Francisco Lichetto Cracoviae celebrati<sup>2)</sup>, qui solus omnium generalium venit in Poloniam ante partitiones Reipublicae. Aliorum capitulorum acta demum post a. 1628 conscribebantur<sup>3)</sup>. Eo maioris momenti est, quod invenitur schema, quomodo celebranda sunt capitula provinciae, proveniens probabiliter ex secundo quarto s. XVI<sup>4)</sup>. Schema hoc non specialiter Poloniam concernit, sed valorem generalem habet. Tamen etiam apud nos capitula tenebantur secundum hoc schema, pro eo quod scimus de eorum absolute. Affirmant id acta capituli Lichetti, monstrantia congruitatem si non cum ordine, tamen cum identitate rerum tractatarum.

Capitulum incipit a missa cantata de Spiritu S. et a hymno Veni Creator. Sequitur sermo<sup>5)</sup>. Publicantur monitiones conventus. Isidori Romae; S. Ant ctus. s. Antonii Romae; Wł Archivum Capituli Włocławek, sectio Monasteria; N ib. 2, 441—87 Necrologus prov. b) libr. impressorum: B Barącz Sadok Pamiętnik Zakonu Bernardynów I. 1874, EN Encyklopedia Kościelna II W 1873, G. Golichowski N Przed nową epoką Kr. 1899. K Joa. de Komorowo Memoriale O. Minorum Mon. Pol. Hist. V 1—418; Kr Cracovia, L Leopoli, Po Poznań, W Varsovia. — an = annotatio, chr = chronicon, ctus = conventus.

<sup>2)</sup> Visitationem hanc descripsimus: „Czas“ 1930, nr. 11 et 12 Wizyta Generała Franciszkanów w Krakowie et Bernardyni polscy, Lwów 1933, I, 68—72. In qua descriptione usi sumus actibus eius praeter K 335—7: ms S. Isidoro 1/131 f 91—114, copia ex fine s. XVI, descriptio uberrima; Wł 2, 488 sq copia a. 1580 conscripta manu Christoph. a S. sine initio; Observantio Capistrana Cz 3656 ex in. s. XVIII; Chronicon Sambor I, 107—114 in. s. XVII. Hic p. C. Bogdalski adiungit porro ms quae non vidimus (Bernardyni w Polsce, Kr 1933, I, 440 adn. „współczesny Adama Miecznikowskiego“ (Sed A. M. mortuus est 1648, non erat contemporaneus Lichetto); „kronikę klasztoru w Leżajsku“, (pagina non indicatur, nos quoque hoc Chronico usi sumus, attamen descriptionem cap. 1520 non invenimus, forsitan adest confusio cum Chr. Sambor); dua ms conventus Cracov. sine indicatione temporis.

<sup>3)</sup> Vetustissima acta capitularia quae invenimus, sunt a. 1637, Leopoli, Cz 3634, Os 1460, 58—70.

<sup>4)</sup> Is. 1/84 datum non habet. Id posterius esse a. 1517 demonstrat terminologia: minister non vicarius etc.; quod non multo tamen, monstrat character scripturae, orthographia necnon quod custos custodum erat unus ex diffinitoribus, inter eos designandus.

<sup>5)</sup> Quales sermones, lingua Latina, reperiuntur in actis cap. saec. XVII et XVIII.

sandi fratrum per capitulum. Omnes debent frequentare chorum cuius unus frater habeat curam. Omni die cantentur duae missae a discretis. Silentium servetur in choro, in dormitorio, in refectorio ubi tenentur sessiones. Nullus extraneus invitetur<sup>6)</sup>. Nullus frater potest abire sine litteris ministri.

Recenseatur index fratrum mortuorum. Recitetur absolutio. Legantur decreta ultimi capituli generalis (cum relatione eius a delegatione, conicimus). Licentientur qui non sunt de corpore capituli<sup>7)</sup>. Capitulares praesentant litteras obedientiales.

Legatur constitutio generalis de eligendo ministro et de capitulo provinciali. Eliguntur tres scrutatores. Sequitur electio ministri provincialis<sup>8)</sup> et quatuor diffinitorum. Pro validitate harum electionum requiritur maioritas absoluta, pro qua interdum repetendi sunt actus electionis. Exprovincialis novo ministro tradit sigillum provinciae. Conscribitur protocollum electionis.

Novus minister cum diffinitoribus in speciali loco „diffinitionis“<sup>9)</sup> consilium habet. Memoratur praeceptum de secreto servando.

Minister accipit petitiones<sup>10)</sup>. Destinantur auditores causarum qui audiant apostatas, querelas; censores librorum, visitor<sup>11)</sup>, socii ministri, habentes munus secretariorum, inquisitores haereticorum, discreti et custos in capitulum generale mittendi. Post intervallum necessarium rationes reddantur ab auditoribus causarum et a custodibus. Praesentantur libri mortuorum, apostatarum, incarceratorum, paenitentiae, debita onerosa (paenae).

Designantur custodes conventuum, guardiani, lectores.

Proclamantur responsiones petitionum.

Destinantur confessarii.

---

<sup>6)</sup> Extranei erant e. c. benefactores. Cap. a. 1567 adfuit Uchanski primas (N 476v).

<sup>7)</sup> Erant fratres conventus capitularis, vel alii accidentaliter non pro capitulo praesentes.

<sup>8)</sup> Ms nostrum hoc punctum omittit.

<sup>9)</sup> Quaedam cella amplior, pro hoc specialiter praeparata, saepe sine dubio habitaculum ministri.

<sup>10)</sup> Erant certe propositiones fratrum extraneorum vel personarum aliarum, missae.

<sup>11)</sup> In Polonia visitor, etiam monialium erat minister, interdum visitabat eius socius.

Publicantur fratres mittendi ad studia generalia.

Scrutantur et declarantur constitutiones.

Examinantur praedicatores et publicantur.

Designatur locus sequentis capituli.

Tabula<sup>12)</sup> capituli legitur et clauditur capitulum.

Minister publicat monitiones.

Publicantur constitutiones novae.

Sequuntur recommendationes vivorum et mortuorum, confessio generalis et absolutio etiam, si necesse, apostatarum et excommunicatorum.

Absolvuntur omnes officiales, quorum munera exspiraverunt. Praecipitur per oboedientiam, ut omnes electi de novo officiales suscipiant officia.

Legatur Tabula.

Concluditur capitulum per Te Deum. Licentiantur capitulares, exceptis his quos minister vult retinere, imprimis diffinitoribus.

Hoc schema generale etiam in Polonia in capitulis adhibebatur. Tamen in studia generalia demum in fine s. XVI fratres mittebantur<sup>13)</sup>, versus a. 1600 etiam disputae ex teologia haberi incipiebant. Pro capitulo generali ex Polonia mittebantur minister et custos custodum cum sociis. Decursu s. XVI munus custodis custodum distinctum factum est ab officio diffinitoris. In casu impeditenti loco ministri vel custodis alter frater mittebatur, s. XVII prominister appellatus. Socius ministri eius secretarius, interdum locumtenens erat, in fine s. XVI cancellarius appellatus quae intitutatio vero a capitulis vituperabatur nec diu sustinebat<sup>14)</sup>.

Decursu temporis constitutiones capitulorum has indicationes capitulorum peragendorum locupletabant specialioribus, minoris

<sup>12)</sup> Tabula est regestrum omnium officialium capituli. Regestrum omnium praesentium non habebatur. Similis Tabula fiebat pro capitulo generali. Ex s. XVI invenimus duas pro Polonia, primam cap. 1520, quam adiungimus in Additamento II, secundam a. 1526 (KO 101 f 24v), quae tamen dubio subiecta est, vide inferius.

<sup>13)</sup> Lichettus quidem a. 1520 promisit se missurum 4—6 fratres Parisios et tot in Italiam (Is. 1/131, 99), quod tamen non factum est. A. 1548 Parisios profectus est Jacobus de Łomża, incapax vero erat discendi (K 368). Systematice studentes mittebantur demum ab a. 1578 (K 398).

<sup>14)</sup> N. 485v notat sub a. 1602 mortem Joannis de Lubaczow: „socius, quondam pp ministrorum lectorque erat eximius et amabilis, po polsku kanclerzem v oycow ministrow bywał“. Interdictum huius denominationis, Cz 3637, 127.

tamen erant momenti. Alia per consuetudinem introducta sunt. Ita quamvis discretus particularis conventus pro capitulo potuisset esse laicus aut clericus, in Polonia eligebatur semper sacerdos quod vero in scriptis non figebatur.

Primitivae constitutiones provinciae Poloniae ex a. 1467 de capitulis silent, excepto quod statuunt, egredientes ad ea guardianos et discretos non habere ius novos habitus comparandi necnon guardianos secum asportare debere libros mortuorum<sup>15)</sup>.

Capitulum Cracoviense a. 1469 constituit: qui venit ad capitulum non vocatus, accipiat disciplinam per manum alieni in refectorio<sup>16)</sup>. Hic adiungimus quod ante capitulum ad conventus mittebantur litterae vocatoriae, secundum quas guardiani faciebant electionem discretorum et veniebant cum eis insimul ad conventum capituli. Praeterea ex variis causis alii etiam fratres vocabantur ad capitulum, sine tamen voce electiva<sup>17)</sup>. Idem capitulum constituit ordinandos a capitulo esse approbandos<sup>18)</sup>.

Plus de capitulo statuunt constitutiones Ludovici de la Torre a. 1488<sup>19)</sup>. In provincia Poloniae protrahebantur capitula propter nimiam loquacitatem; proinde decrevit, ad maximum 10 dies ea durare posse, pro exemplo ponens Italiam, ubi 70 fratres septem diebus sciunt absolvere omnia. Eo fine utendum est tempore mane post reditum ex ecclesia, post quietem meridianam, post vespervas. Quae monita vero parum profuerunt. Quando Lichettus a. 1520 quinque diebus finivit capitulum, omnes stupebant<sup>20)</sup>. Sed etiam a. 1495 capitulum quinque diebus finitum est, propter pestem quod chronicon notat qua exceptionem<sup>21)</sup>.

In capitulo diffinitores inquirendam habent administrationem absoluti ministri, an fuerint defectus. Hoc facere debent cum omni circumspectione nec facile credant querelis, sed praebeant aures explicationibus eius. Quae inquisitio secreto tractetur sine guardianis et discretis, saltem in defectibus clandestinis

<sup>15)</sup> Collectanea Theol. 1929, 349, 350.

<sup>16)</sup> Cz 3637, 151. Talis disciplina erat inter gravissimas poenas.

<sup>17)</sup> Talem vocationem e. g. recepit Martinus de Bieganowo, praedicator in Bydgoszcz, pro cap. a. 1581 in Łowicz „pro absolute vnius propositionis sibi commissa a sacra contione absoluenda“ (Wł 2, 93, 94v).

<sup>18)</sup> Cz 3631, 140.

<sup>19)</sup> Ko 97, 151v.

<sup>20)</sup> K 337.

<sup>21)</sup> K 265.

Capitulum debet seriose advertere, ut guardianos nominet aptos. Sint viri digni, pii, conscientiose Regulam observantes, moribus exemplares, in devotionibus excellentes. Absint motivi particulares, non eligantur nobiles, eruditi, amici, nisi sunt apti officio, non licet eligere adversarios regularis disciplinae, acerbos infirmis, a choro se absentantes, aedificare amantes, „curiosos in claustrum“ etc. Simili modo in magistros novitiorum creantur experti fratres, exguardiani aut pro guardianatu apti. Hic notamus quod ab omnibus capitularibus et diffinitoribus electo ministro, guardiani et omnes alii officiales a ministro cum diffinitoribus creabantur.

Capitulum in Kobylin 1502 constituit moniales sine clausura tantum in capitulo suscipiendas esse; dubitamus tamen, quin hoc praescriptum observaretur. Ulterius decrevit terminum capituli fore semper pro Nativitate BMV (8 Septembris)<sup>22)</sup>. Causa huius decreti erat sine dubio, ut minister reversus ex capitulo generali, celebrando pro feste Pentecostes, posset rationem reddere. Concordabat id cum textu Regulae, at erat contrarium constitutionibus generalibus, praecipientibus capitulum provinciale etiam pro Pentecosten (Burgos 1521)<sup>23)</sup>. Postea in Skępe 1549 statutum est, in Polonia quoque capitula celebranda esse in Pentecoste, tamen demum ab a. 1573 hoc termino locum habebant. Quod decretum a. 1594 repetitum est.

Primitus capitula annuatim celebrabantur. Lichettus a. 1520 constituit semi-altero anno celebranda, ne fratres nimis saepe itinerent<sup>24)</sup> quod vero non exsequebatur. A. 1554 Varsoviae statutum est trinis annis capitula habenda<sup>25)</sup>. Sed demum ab a. 1561 regulariter his intervallis convocabantur. Loco capitulorum diffinitorium<sup>26)</sup> congregabatur extra tempus.

Capitulum Poznaniense a. 1505 statuit de locis a fratribus tenendis et praecedentia<sup>27)</sup>, quod hoc tempore magni momenti erat.

<sup>22)</sup> Ko 97, 156v.

<sup>23)</sup> Cz 3637, 151.

<sup>24)</sup> Is 1/31, 98v.]

<sup>25)</sup> K 378.

<sup>26)</sup> Ad id pertinebant praeter ministrum, custodem custodum et diffinitores, etiam exministri, appellati in Constitutionibus diffinitores perpetui, in Polonia patres provinciae. Totum diffinitorium constabat ca decem personis.

<sup>27)</sup> Cz 3637, 152.

A. 1515 capitulum Lublinense constituit querelas contra guardianos a discretis in scriptis proponendas esse cum subscriptione fratrum querentium quod praeceptum a capitulo Radomiensi a. 1533 repetitum est<sup>28)</sup>. Certamina et rixae, de quibus in capitulis interdum audimus, causam huius decreti dare potuerunt quod altera ex parte superiores favebat.

Aliter ac constitutiones a. 1467, novae a. 1524/7 redactae de capitulis uberius loquuntur<sup>29)</sup>. Vocati ad capitulum debent venire sub poena. Si quis est impeditus e. g. morbo aut si pestis grassat, debet mittere excusationem. Quando 1482 Cracoviae pestis erat, fratres huius loci non sunt permisi venire ad capitulum in Koło et debuerunt restare in Warta<sup>30)</sup>. Defectus vocalium complebantur cooptatione respectivi numeri fratrum conventus capitularis; principium erat numerum vocalium plenum esse oportere.

Repetitur decretum discretos querelas fratrum contra superiores in scriptis proponere debere. Nemo vocatus non potest advenire. Quae repetitio monstrat difficulter id perfici potuisse, quamvis a. 1520 Lichettus declaravit fratres non vocatos apostasiam fecisse et demum precibus capitularium, hoc iudicium mitigavit<sup>31)</sup>.

Missus in capitulum generale custos custodum, et idem concernat totam delegationem, nihil tractare potest, nisi quae ei mandata sunt, proponere ea solummodo quae ei a provincia sunt imposita, agere unice res provinciae. Reversa delegatio primum referat diffinitorio, servans strictum secretum de eis quae fuerunt in capitulo generali. Diffinitorium decidet, an et quae debeant promulgari in provincia, interdum non omnia publicare expedit.

Postremo statuitur de locis in capitulo tenendis.

Praescriptum, ut delegatio teneat in capitulo generali suam instructionem, videtur indicare, quod non semper satisfacienter se gerebat. Habemus exemplum bene antierius. Vicarius provinciae Michael Bal in fine s. XV in animo habebat se tectum ecclesiae Cracoviensis plumbo vestiturum esse. Tamen ex capitulo Assisiensi a. 1487 Stanislaus de Słapy et Ioannes Szklarek asportaverunt inter alias res etiam inhibitionem tectorum plumbeorum. In sequenti capitulo Varsoviensi h. a. Bal eiusque asseclae accu-

<sup>28)</sup> Ib.

<sup>29)</sup> TPNpo 95, 36v.

<sup>30)</sup> K 232.

<sup>31)</sup> Is 1/131, 99 v.



sarunt delegationem quasi difamasset provinciam in oculis totius Ordinis<sup>32)</sup>. Hoc incidens erat nimis remotum ut influeret in constitutiones a. 1524, analogica vero non semel accidere poterant.

Ulteriora capitula addunt nonnulla. In Przeworsk a. 1539 constitutum est discretum saltem a tribus annis in Ordine esse oportere. Si eligatur iunior, non habeat vocem, potest tamen qua legitime electus adesse in capitulo<sup>33)</sup>. A. 1551 in Łowicz decretum est iudaeos et mahumetanos tantum a capitulo suscipiendos esse<sup>34)</sup>, postremo in Bydgoszcz a. 1591 et 1594 in Kazimierz quod pro necessitatibus quoque capituli non licet quaestam facere extra limites capitularis conventus<sup>35)</sup>.

In constitutionibus a. 1597 priora decreta de capitulis confirmata et repetita sunt, earum capitulum VI de capitulis agens brevissimum est; ex aliis eruere possumus quod rei maiorum culparum ex capitulis excludendi sint. Socius ministri in capitulo a diffinitoribus eligatur eique sigilli provinciae cura erit. Nova aedificia non exstruantur sine permissione capituli<sup>36)</sup>. Quae decreta nihil novi adferunt et iam ab antiquo tempore obligabant.

Non possumus exacte eruere, a quo tempore disputationes in capitulis in usum venirent. Habuerunt eas fratres qui recenter absolverunt studia generalia et lectores fiebant, lector studii theologiae eis praeerat. Probabiliter initiator eorum fuit Annibal Rosselli qui studia in Polonia reorganisavit, commissarius capituli Varsoviensis a. 1583. Prima vero disputatio, expresse memorata, est capituli Radomiensis a. 1602<sup>37)</sup>. Haec disputationes interdum imprimabantur.

Praesidebat capitulo loco ministri generalis eius commissarius. Eo fine in epoche antelutherana semper Itali in Poloniam mittebantur. Evidenter non quoque anno veniebant. Nec etiam poterant adesse trinis annis, quando novus minister etc. eligebantur. In tali casu minister praesidebat. Competentio commissariorum ceterum excedebat Poloniam et eidem insimul in Bohemiam, Austriam, Hungariam suum munus exercebant. Sequentes

<sup>32)</sup> Kantak, J. Szklarek, Kronika m. Poznań, 1928, 319, 20.

<sup>33)</sup> Cz 3637, 152.

<sup>34)</sup> Ib. 140.

<sup>35)</sup> Ib. 151. Quique conventus habuit suum territorium quaestae.

<sup>36)</sup> Cz 3637, 155–6.

<sup>37)</sup> A I 344. Disputationes impressae Kantak, Bernardyni polscy, Lwów 1933, II, 299, An. 18.

commissarios invenimus: a. 1467 Petrum de Neapoli unacum b. Angelo de Clavasio, 1469 Ludovicum de Vincentia, 1478 Nicolaum de Monte, 1488 Nicolaum de la Torre, 1497 Gabrielem de Castello, 1502 Jacobum de Mantua, 1508 Bernardinum de Fulgineo (Foligno), 1516 Jacobum de Porcaria, 1520 ipsum ministrum generalem Franciscum Lichettum, 1528 Casparum de Kroměříž, nam primitus designatus Italus non venit propter lutheranismum in Germania saevientem, 1532 Celestinum de Cigulis, solummodo designatum qui eadem de causa iter non suscepit<sup>38)</sup>.

Ab hoc tempore desunt commissarii. Causa erat tempestas religiosa Reformationis. Ministri ipsi praesident. Tandem in fine s. XVI denuo invenimus commissarios. Primus eorum fuit Annibal Rosselli qui venerat in Poloniam instauraturus studia superiora a. 1581 et usque ad mortem suam 1591 vel 1592 legebat in conventu et in Universitate Cracoviensi. Qui nominatus commissarius generalis Poloniae 28. VIII. 1584 celebravit capitulum Varsoviae 1585<sup>39)</sup>. Post eum Polonia annumerata est commissariatus Germaniae superioris, instaurato a. 1582, comprehendenti territoria ditioni Habsburgorum subiecta (Austriam, Bohemiam, Ungariam)<sup>40)</sup>.

Capitulo in Warta praesidebat commissarii huius Fricii substitutus Leonardus Kretka (minister Poloniae 1585—8). Nec etiam visitaturus Poloniam, nec pro capitulis venerat ullus horum commissariorum, sed semper inter fratres Polonos substitutos quaerebant. Viceversa in congregatione provinciarum Germaniae Oeniponti a. 1596 non adfuerunt Poloni, tamen eius constitutiones inveniuntur inter acta provinciae Poloniae. A 1599 commissarius Kemerer substitutum suum creavit Gabrielem de Grodziec. Qui fuit Reformatus et in Polonia invisus, eiusque visitatio multarum querimoniarum occasionem praebuit<sup>41)</sup>. Propterea ex hoc tempore fratres Poloni operam dabant suam provinciam a commissariatu

<sup>38)</sup> K 196—9, 203, 221—3, 257, 266, 286—8, 302—3, 314, 333—7, 347; Is. 1/8, 111v.

<sup>39)</sup> A I 304—6.

<sup>40)</sup> Holzappel H., Handbuch d. Gesch. d. Franziskanerordens, Freiburg 1910, 443. Hi commissarii erant 1582—7 Alvarez Michaël, 1587—93 Fricius Valentinus, 1593—7 Arnoldus Bernardinus. 1597—1601 Kemerer Antonius, 1601—6 Alfonsus Requesens (Greiderer, Germania Franciscana I, Oenipotente 1777, 286, 7).

<sup>41)</sup> Baw 651, 9 sq, ubi tamen Gabriel vocatur Fricii substitutus. Qui vero hoc tempore iam mortuus erat († 1593).

Germaniae separandam fore quod tandem obtinuerunt in capitulo generali Toletano, a. 1606. Sed iam prius commissarii Poloni designati sunt, primus Renedictus Gašiorek (Anserinus) a. 1600. Quando m. Decembri 1603 minister generalis Franciscus a Sosa denuo subiecit Poloniam commissariatui Germaniae et commissarius Alphonsus Requesens nominavit substitutum suum Nicolaum Łysakowski, fratres Poloni hanc decisionem accipere renuerunt et post multas luctas obtinuerunt commissarium Polonum Gabrielem a Czerniejewo, nominatum a nuntio m. Februario 1605. Abhinc commissarii erant Poloni usque ad a. 1617, post Itali ad a. 1640. deinde iterum Poloni usque ad partitiones Reipublicae 1795<sup>42)</sup>.

Praeter electiones officialium provinciae<sup>44)</sup>, maximi momenti sunt decreta (constitutiones) capitulorum. Maxima pars eorum suo textu originali non adinvenitur, tantum in abbreviatione, notata in „Memoriali“ Joannis de Komorowo<sup>45)</sup>, vel in margine Constitutionum a. 1597<sup>46)</sup>. Qua de causa solummodo ex parte nobis sunt notae. Imprimis minimum scimus constitutionum tempore continuatorum Komorowski post a. 1536. Dolemus hoc, et eo magis, quod his temporibus cum propaganda Reformatione Bernardini acerbe pugnabant, tamen propter enucleatas rationes haec epoche nulla vestigia in decretis capitulorum reliquit.

Praeter Constitutiones provinciae, de quibus infra, habemus decreta, aut saltem invenimus adhuc statuta capitulorum annorum 1478, 1491, 1501, 1509, 1518, 1538, 1557. Accedunt Admonitiones vicarii provincialis Bal a. 1483, conditiones concordiae inter Polonos et Lithuanos a. 1528<sup>47)</sup>, denique ordinationes capitulorum

<sup>42)</sup> K a n t a k, Bernardyni polscy, II, 34—41.

<sup>43)</sup> Gabriel a. C. 1605, Bonaventura Krzeciek 1606, 1612 Petrus Poznański; Michaël ab Appiniano 1619, Antonius Strozzi 1625 etc.

<sup>44)</sup> Notamus hic nonnullos fratres, qui fuerunt diffinitores; quando, nescimus: Nicolaus Klaczko, custos custodum (Bernardyni polscy, I, 112), Stanislaus de Konin † 1509 Varsoviae, Bartholomaeus Łój † ca 1515, Varsoviae, Michaël de Kiełbowo † post 1513 Varsoviae, Antonius de Grodzisko † 1529 Łowicz, Marianus de Radowice † 1533 Varsoviae, Joseph de Mościska † 1549 Leopoli (N 453v, 466v, 471v)

<sup>45)</sup> K habet decreta a. 1467 (196—9), 1469 (203), 1478 (223), 1483 (243), 1489 (258), 1491 (260), 1520 (333—7), 1524 (343—4).

<sup>46)</sup> De his Constitutionibus inferius.

<sup>47)</sup> Publicatae in Wilno 18. VI. 1529, cap. erat in Lublin 26. VII.

generalium pro Polonia Assisii 1487 et Parmae 1529<sup>48)</sup>. Collectiones systematicae decretorum capitularium incipiunt demum a capitulo Varsoviensi a. 1585. Praefuit huic Rosselli cui forsitan adscribi debet inauguratio systematicae registrationis. Tamen evidenter aderat quaedam collectio decretorum capitularium<sup>49)</sup>, alias Constitutiones a. 1597 non possent ad eam provocare. At talem collectionem non invenimus, eis decretis quae possidemus in extenso, repertis in forma fortuitarum notarum.

Saltem in fine s. XVI capitula celebrabantur cum pompa externa. Speciatim hic memoramus processiones capitularium theoforicas. Prima notata est in capitulo Samboriensi a. 1597, pro qua permissionem dederat cardinalis Gaetani, quando venit in Poloniam qua legatus Clementis VIII<sup>50)</sup>.

Solemnitas exterior connexionem habet cum aucto numero fratrum capitularium. Nucleum formant guardiani et discreti i. e. ex quoque conventu bini, accedunt patres provinciae, diffinitores, vocati speciatim. Tali modo numerantur 50—70 fratres, praeter conventum capitularem. Haec aestimatio confirmatur a documentis. Capitulum a. 1520 elegit diffinitorem Michaëlem a Sokolniki vocibus 46 qui erat minimus numerus vocalium Urielem de Grabow vero vocibus 31 quod ergo fuit minimus maioritatis absolutae<sup>51)</sup>. Capitulum in Bydgoszcz a. 1591 habuit 140 fratres, hic vero numerati sunt omnes praesentes, etiam non vocales qui nutriendi erant<sup>52)</sup>. Quando a fine s. XVI conventus multiplicabantur, crevit quoque numerus capitularium. Si in Wilno a. 1614 adfuerunt 500 fratres, haec erat sine dubio exceptio, proveniens de causa multorum vocatorum. Tamen usque ad a. 1628 numerabantur 56 conventus, ergo vocalium numerus bene excedebat centum.

## II. CONSTITUTIONES.

De primitivis Constitutionibus provinciae Poloniae, redactis in eius fundatione a. 1467 iam prius hic retulimus. Notamus tantum, praeter eas vim obligationis habuisse Constitutiones genera-

<sup>48)</sup> Omnia haec an. 1; a. 1509 et 1519 Coll. Th. 1929. 350—2.

<sup>49)</sup> Plurima erui possunt ex notis marginalibus Cz 3637, minus Cz 3654, 3655, 3708.

<sup>50)</sup> Wł 1, 72v.

<sup>51)</sup> Is 1/131, 96v.

<sup>52)</sup> K a n t a k, Kronika Bernardynów bydgoskich, Po 1907, 55.

les, conditas a s. Joanne Capistrano, vocatas vel ex huius nomine vel propter confirmationem Martini Papae V Martinianas <sup>53)</sup>. Quae Constitutiones formabant notam distinctivam Observantium a Conventualibus et obligabantur apud nostros Bernardinos per totum s. XV et XVI qua generales, ita ut provinciales a. 1524/7 additamenti earum rationem habeant.

Idem character additamenti portant etiam Constitutiones Ludovici de la Torre, promulgatae in capitulo Cracoviensi a. 1488, in quibus redigendis probabiliter intererat b. Ladislaus a Gielniow <sup>54)</sup>, protunc vicarius provinciae. Constant undecim capitibus sub titulis: Ad firmandum II etc. capitulum Regulae usque ad XII. Quodque capitulum dividitur in plura puncta. Il loquitur de suscipiendo ad Ordinem, III de choro, officio, ieiunio, exeundo ex conventu, IV et V de quaesta, aedificiis, apparamentis, educatione, VI etiam de aedificiis et de infirmis, VII de culpa, carceribus, discretis, disciplina, VIII de capitulis, IX de praedicatoribus, confessariis, studiis, X instaurat tres custodias, dat praecepta de visitatione, inoboedientia, infirmariis, XI de sororibus III Ordinis, XII de peregrinationibus Ierosolymam. Et hic, vidimus, non adesse bonam dispositionem et patentem ordinem.

Quas Constitutiones graves superioribus fuisse aestimat Komorowski <sup>55)</sup>. Tamen intuitu earum, vix talem opinionem subscribamus. Duo tantum puncta hic afferri possunt: admonitiones assidue, ut quam maxime evitentur nova aedificia et sufficiant existentia lignea <sup>56)</sup> atque cassatio praecepti, ne in discretos eligantur fratres qui adversarii sint guardianorum, multi enim appellantur contentiosi qui de iure contentiosi non sunt <sup>57)</sup>. Severitas commissarii erga superiores apparere poterat in eius visitatione et haec impressio postea transiit ad aestimationem Constitutionum. Ceterum tempore Ludovici, Komorowski nondum in Ordine erat, ergo aliorum opinionibus inniti debebat.

Nova organisatio Ordinis Minorum a. 1517 habuit quoque expressionem in Constitutionibus generalibus et provincialibus. Provinciae cismontanae obtinuerunt novas in capitulo generali

<sup>53)</sup> Hae Constitutiones Ko 97 129v—33, UL 27 19—42, UL 30 105—56.

<sup>54)</sup> Cfr. Kantak, Les données historiques sur les O. Bernardius (Observants) Polonais duxre siècle Quaracchi 1929, 446.

<sup>55)</sup> K 257.

<sup>56)</sup> Ko 97, 150v.

<sup>57)</sup> Ib., 151.

Parmensi a. 1529. Alio modo res se habebant in Polonia. Hic post decreta capitulorum annorum 1518 et 1520, concernentia singulas res, nova redactio Constitutionum facta est secundum Burgenses, conditas a ministro generali Quinones in capitulo Burgos celebrato a. 1523, ubi provinciam repraesentabant Raphael de Lgota et Jacobus Dziaduski. Minister provinciae Uriel de Grabow (1523—6) designavit commissionem pro novis Constitutionibus condendis quae capitulo in Warta 8 Septembri 1524 propositae ab eo approbatae sunt<sup>58)</sup>.

Non possumus certe dicere, an haec constitutiones habuerint vim usque ad a. 1597, an eorum loco post a. 1527 Constitutiones a Raphaelae a Proszowice redactae earum locum obtinuerunt. A. 1526 enim capitulum generale Assisiense in nova forma abbreviata Constitutiones Burgenses redegit, in quinque capitulis. Hoc dedit ansam ministro Raphaelae a Proszowice (1526—9) novae quoque redactionis Constitutionum provincialium. Fecit id tamen sua sponte sine scitu patrum provinciae. Quando opus suum proposuit capitulo in Łowicz 8 Septembri 1527, capitulares invitos reperit nec maioritatem vocum pro eis obtinuit<sup>59)</sup>. Forsan postea, propter celebritatem Raphaelis, mortui in odore sanctitatis, in usum venerunt, tamen eius rei nullum documentum invenimus.

Adhuc invenimus tres textus earum Constitutionum; utrum vero sint a. 1524 an Raphaelis de Proszowice, nihil decidi potest. Habent inscriptionem: Incipiunt constitutiones provinciales in multis capitulis et per r. p. ministrum generalem confirmatae<sup>60)</sup>. Distinguuntur in quinque capitula melioremque anteriorum ordinem habent. Quod pro authore Raphaelae loqueretur, si sciremus, talem ordinem non habuisse Constitutiones a. 1524. Forsan nova quae inventio lucem afferet.

A. 1597 novae Constitutiones provinciales conditae sunt. Iam a. 1593 capitulum generale Valladolid celebratum nova statuta provinciarum cismontanarum decrevit, auctore ministro Secusi. Quae

<sup>58)</sup> Holzapfel, 306, K 343.

<sup>59)</sup> K 346.

<sup>60)</sup> Modificamus hic opinionem quam protulimus in Coll. Th. 1929, 262/3 sequentes relationem Buzenski Vita s. D. Raphaelis Proszoviani Po 1686 34/5. Harum Constitutionum reperimus tria exemplaria: 1) TPNpo 95, 1—38, copia Innocentii a Czerniejewo; 2) PoD s. s. Constitutiones provinciales, s. XVI; 3) Cz 3637, 5—39, copia a. 1612.

statuta nimis prolata sed bene ordinata, promulgata a. 1594, impressa sunt 1598 Romae <sup>61)</sup>. Generalem legislationem secuta est particularis. Proximum post 1594 capitulum provinciae in Sambor a. 1597 novas Constitutiones provinciales promulgavit. Redegit eas celeberrimus sui temporis Bernardinus, Benedictus Gašiorek, sine dubio adiutus ab aliis fratribus.

Quae Constitutiones multo meliores evaserunt anterioribus. Distinguuntur in sex capitula, haec iterum in articulos, quodque capitulum et articulus habent proprium titulum. Capitulum I statuit de receptione ad Ordinem, II de officiis divinis, III de puritatibus regularibus, IV de muneribus, V de poenis, VI de capitulis provincialibus. Sub titulo III collecta sunt praecepta conversationis domi, ad mensam, in itinere, ieiuniorum, infirmorum, acquisitionis, indumentorum, librorum et bibliothecarum, curruum, equorum, pecuniae, aedificandi, testamentorum, depositorum. Capitulum IV i. a. continet rem studiorum et lectorum.

Quoad contentum, Constitutiones nihil novi introducunt. Sicut omnes aliae, sunt explicationes et adaptationes Regulae quae eis ponit fines impermeabiles. Animadverti potest quaedam mitigatio antiquioris rigiditatis, quod maxime elucet ex comparatione cum Constitutionibus Ludovici de la Torre. Revera tamen in hac re praxis antecessit ius, imo Constitutiones videntur severiores praxi.

Hae Constitutiones a. 1597 habent suam vim usque ad partitionem provinciae 1628, imo etiam postea. Capitula initio s. XVII multa nova decreta condiderunt, prae oculis habentia internam reformationem fratrum, attamen omnia haec obligationem Constitutionum non mutabant, sed qua additamenta earum habenda sunt.

Quae Constitutiones, independenter a suis exemplis, bonam opinionem mentalitatis iuridicae Bernardinorum versus a. 1600 praebent.

---

<sup>61)</sup> Vide inf. sub cap. a. 1597. Ms 206, 2c, 13 habet inscriptionem: Constitutiones provinciales Ord. Min. de Obs, in cap. Sambor a. 1597, a. pp auditoribus examinatae, certisque correctionibus per r. p. Benedictum Anserinum Leopoliensem, pro tunc com. ad cap. hoc idem destinatum, et r. p. Franciscum Wartensem, ministrum provinciae electum, ac per aavvpp diffinitores aliosque provinciae patres simul congregatos emendatae, ex variis nfrasubiectis capitulis depromptae ac in ordinem redactae.

III. REGESTRUM CAPITULORUM <sup>62)</sup>.

*a) in primitiva vicaria Austriae—Bohemiae—Poloniae anno 1453—1467.*

1453 Vratislaviae M. Christophorus a Varisio (K 166) F. Cracoviae s. Bernardini: Casimirus rex, Joannes et Zbigniew Oleśnicki — Varsoviae s. Annae: Anna ducissa Masoviae (K 150—173).

1454 Vratislaviae P. Joannes Capistranus, M. Gabriel Rangoni de Verona (K 174—5).

1455 Olomucii M. Rangoni (K 175) F. Poznań s. Bernardini, Kościan S. Mariae Angelorum, Wschowa, s. Francisci, omnes: oppidani (K 176).

1456 Brno M. Bernardinus de Ingolstadt (K 183) F. Kobylin BMV a Praesepio: Wojciech de Kobylin cum matre et fratribus (K 185).

1459 Lubiąż (Leubus in Silesia) M. Rangoni (K 184) F. Tarnów BMV ad Nives: Joa. Amor et Raphaël de Tarnów (K 186).

1460 Opava M. Rangoni (K 188), commissarius Poloniae Angelus de Ostrów (K 188, 191). F. Lublin s. Pauli: rex — Leopoldis s. Andreae: Andreas Odrowąż — 1461 Cracoviae Bernardinae s. Agnetis: Hińcza de Rogów (K. 189, 195).

1462 Jamnice (Gemnycz) M. Bonaventura de Bavaria (K190), 1. IX 1462 condit confraternitatem s. Bernardini Leopoli (ms Confraternitas s. B. in Bibl. Bernardinorum Leopoli s. s. fol. I).

1463 Brno P. Chr. de Varisio, M. Bonawentura B., Com. Pol. Angelus de Ostrów, guardianus Cracoviensis (K. 191).

1464 Vindobonae N. Rangoni (K 192).

1465 Vindobonae P. Marcus de Bononia M. Jacobus de Głogów, Com Pol Angelus de O. (K. 192) F. Przeworsk s. Barbarae: Jarosław de Przeworsk — Kalisz Visitationis BMV: Gruszczyński primas (K 192, 193).

1466 Vratislaviae M. Jacobus Com Pol Evangelista de Łęcze (K 193) F. Koło Nativitatis BMV: Hińcza de Rogów (K 194).

<sup>62)</sup> Tale regestrum iam condidit Golichowski N., Przed nową epoką, Kr 1899, 149—62, tamen nec plenum nec a taris liberum. Propterea putamus necessarium inserere correctum ac completum. Abbreviaturae; cap = capitulum; cc = custos custodum; cgr = congregatio; com = commissarius; df = diffinitor; ds = discretus; F = fundatio; post: fundatores enumerantur; M = minister (ad a. 1517 vicarius provinciae vel vicariae); P = praesidens; s = secretarius.



Capit. gen. Mantuae 24 V 1467 statuit partitionem provinciae.

b) *vicariae Poloniae 1467—1517*

1467 12—25 V Cracoviae P. Petrus de Neapoli. Tripartitio provinciae: Polonia, Austria, Bohemia. M. Pol Marianus de Jeziorko. Constitutiones provinciales, statuta capituli (K 196—9, Collectanea Theologica 1929 341—50), Diploma creationis provinciae (Abraham w „Sprawozdanie z poszukiwań w archiwach i bibl. rzymskich“, Arch. Coll. Hist. S. 2. T. I, 63/4).

3 statutum est quod guardiani supra sollicitudinem locorum edificandorum paramentorum et huiusmodi sollicitudinem (?) gerant pro induendis fratribus, ita quod prouideatur vnique secundum indigentiam de communibus elemosinis. Et nullus guardianus presumat se induere tunica cum habitu nisi quando prouidetur communitati fratrum. Ita si haberet necessitatem... eodem panno et eodem tempore quo familia loci sui guardianatus. Et in capitulo prouinciali priuetur officio guardianatus tanquam crudelis et contrarius Regule s. Caueant fratres a panno albo etiam pro tunicellis quia de hoc aliqui scandalizantur sicut experientia certa didici.

Pro firmiori obseruancia cap V Regule s. statutum est quod (1) secundum ordinata in capitulo generali secundum Regulam s. sic temperetur labor manualis sacerdotum et clericorum quod ex hoc nullomodo spiritus eorum extingatur, verum potius letentur guardiani quod prefati ad chorum eant aut laborent in diuinis officijs, laudibus et aliquando in scripturis diuinis, cum sepe in studio s. scripture plus illuminetur intellectus quam si locutus fuisset cum angelo Dei. Nec prohibetur prelati quod subditis non imponant labores communes loci vt est locio scutellarum, mundacio claustrum et huiusmodi sed stricte eis mandatur quod deitent cot-

---

<sup>65</sup>) Bis repetitur in ms.

tidianas occupationes, presertim illas grauissimas... exposui in capitulo prouinciali, quia et oculata fide percepi ex importuno corporali... non solum destruitur corus sed etiam ita extingwatur aliquorum spiritus quod frequenter oracionis tempus et horas sicut... non possunt à peccato mortali excusari qui horum causa uel occasio sunt, cum expresse agunt contra conscienciam (?) que nec precipit nec monet laborem manualement sed tantum instruit secundum s. Bonauenturam. Et idem p vicarius... reprimat importunitatem guardianorum quantum ad praedicta indiscreta onera. Quod si non faciat, sciat quod... valde delinquere in officio suo et magnam occasionem praestare subditis murmurandi et cadendi... deuocione prelatorum suorum.

2 statutum est quod labor manualis non negligatur a ff laicis et clericis et sacerdotibus gratiam non habentibus in studio scripture s. quia hys omnibus... similis obligacio. Et ideo tales a guardianis compellantur labore, ita tamen quod non extingwatur spiritus. Melius est enim quod deputati ad chorum, expediti ab eo post ordinem corporaliter occupentur in aliquo exercicio, si (?) s lectionis gracia sunt priuati quam quod dissolutionibus et sepe murmuracionibus intendant.

3 statutum est quod fratres pro nullo seculari laborent etiam parua sine licencia suorum prelatorum. Et gwardiani non sint faciles ad imponere labores tales suis fratribus pro secularibus, cum sepe et hoc fit occasio subditis... libertates habere, familiaritatibus cum ipsis secularibus vti. Et sepe sine licencia ad placitum sibi aliquam personam videre. Similiter seruetur constitucio capituli generalis, scilicet quod fratres donaria uel munuscula etiam consanguineis et alijs dare non possunt sine licencia p vicarij aut eius guardiani, non obstante constitucione v p fr. Petri de Neapoli qui cui dant, quantum dare possunt aut alijs per licenciam concedere, eorum conscienciam oneramus.

Pro firmiori obseruancia VI cap Regule

1 quod tam prelati quam subditi solliciti sint pro thesauro ss paupertatis, de qua in hoc cap specialiter fit mencio. Iniungitur tamen specialiter prelati nomine (?) vicarij generalis quod loca de tabulis et lignis facta per sanctos et antiquos patres nostros nullomodo destruant et edificent de muro, cum hoc nullatenus fieri potest absque grauamine intrinseco consciencie et scandalo non modico exteriori secularium quorum aliqui nobiles et magni...

et comites, ymo aliqui ciuitatum domini palacijs et curijs ligneis sunt contenti, et nunc videntes fratres, in altissima paupertate fundatos, lignea habitacula spernere et magnas domos in edificijs muratis excidere, non solum mirantur sed eciam cadunt in deuocione et fide quam fratribus diu seruarent, et aliqui dicunt quod nullo modo possunt credere quod non habemus multam pecuniam que requiritur ad has fabricas uel edificia. De locis autem ligneis iam destructis pro reedificacione de muro, valde caute procedendum est, ne puritas paupertatis offendatur. Et ideo nec capitulum prouincie nec ipse p vicarius absolute precipiat alicui gwardiano quod procedat in edificio incepto, cum hoc preceptum absolute factum sit contra Regulam, vt probaui in capitulo prouinciali. Mandare tamen possunt et debent gwardiano loci, in quo edificatur, quod post prouissionem (s) factam pro induendis fratribus et infirmis si que elemosine superfluunt quod de illis uel edificent uel edificium preparant. Et gwardiani qui aliquo edificio intendunt, solitudinem in eo edificio preponentes solitudini pro infirmis et pro fratribus induendis, sint certi quod non excusantur a mortali. Et credo quod a principio huius prouincie institucionis (151) non fuerit occasio declinandi a Regula que possit comparari huic importune solitudini aliquorum gwardianorum in talibus edificijs. Hinc enim negligitur chorus non solum per ebdomadam sed per menses tam ab ipsis gwardianis quam ab alijs fratribus, hinc contaminacio s oracionis, hinc multiplicacio tricesimarum, hinc discursus vagi inutiles et scandalosi, hinc equorum familia et famulorum in claustris, hinc facti sumus Deo et mundo exosi, hinc importuni vicinis dyuotis nostris, hinc breuiter venenum professionis, hinc exclusio s paupertatis et sic p nostri s Francisci; non possum cum breuitate mirari inconueniencie et male sequele importuni edificij. Verum est quod in tali loco nulla pax, nulla obseruancia regularis, modica reuerencia subditorum erga gwardianos... fides. In tali loco ille bonus frater qui scit bene laborare, ille bonus procurator qui plura portat in claustrum, eciam per quamcunque viam. Ille tolleratur, a choro eximitur, in visitacionibus de negligencis suis defensatur apud vicarium, laudatur et sepe pro aliqua ejus promocione procuratur qui magis in edificio laborat (?) et sollicitat, sed et conuerso fr senex et infirmus alias debilis pro tali importuno edificio non bene sustinetur (?) et quod peius est, procuratur eius amocio de loco, ita quod compelluntur clamare:

Heu, atque etiam heu fiant filij nostri pugnauerunt contra nos; et sic de vno aliud procedemus vsque ad feces nisi provideatur. Prohibetur vltterius omnibus fratribus quod nullomodo fiant edificia plumbea secundum quod ordinatum est in capitulo generali, nec fiant aliqua edificia magna sine consensu discretorum loci vt infirmaria sacristia loci; alias puniantur contrafacientes grauiter: puta si gwardianus est, deponatur etiam infra annum nec instituat gwardianus per tres annos sequentes; si autem esset presidens, priuatur actibus legitimis per continuos tres annos. Vltimo pro notabili thezauro paupertatis inhibetur omnibus fratribus, ne in posterum procurent vel recipiant pallas pro corporalibus que sunt curiosi valoris sub pena priuacionis illarum et trium disciplinarum in refectorio, nec quod receptas conseruent si videbitur p vicario quod contraveniant statui puritatis nostre.

2 statutum est quod prelati salutent fratres suos ad mutuam caritatem que in hoc cap tangitur, ite quod confidencia fraternitatis spiritualis predeat amicabili carnali parentele et patrie et huiusmodi.

3 statutum est quod cura infirmorum obseruetur ad modum Regule et nostrarum Constitutionum et in visitacionibus et in capitulis grauiter puniantur crudeles... infirmis nec admittantur excusaciones aliquorum allegancium absenciam medici et medicinarum, et ex hoc debuisset magis compati infirmis et debuisset plenius satisfacere eius de alijs possibilitatibus, scilicet de frequenti visitacione, dulci exhortacione, infirmarij prouisione et huiusmodi. Et rogo omnes prelatos vt credant etiam infirmitatibus fratrum quando firmiter testantur de illis. Qui multocius taliter non crederet, comparari potest... Sustineantur quoque tales infirmi uel debiles, maxime quando ad hoc deducti sunt propter importunos labores. Non tamen credo quod sit crudelitas gwardianorum dure infirmos increpare et non... eos ad modum infirmorum quando nolunt medicorum regulas obseruare sed ingluuijs se tradere et plus bibere uel comedere quam sani.

Pro firmiori obseruancia VII cap Regule

1 statutum est quod de communibus publicis culpis corrigendis infra ebdomadam gwardiani uel magistri nouiciorum sint valde modesti, ita quod ibi non faciant longa capitula uel omealias sed cito se expediant, ne sint tedio circumstantibus, corrigant defectus publicos et caritatiue puniant. Et sint memores quod si

propter peccatum alicuius mortale non debent irasci uel contraheri secundum Regulam sed aliquando suasionibus, aliquando protestacionibus et tandem penitentijs (!) inducant et compellant fratres ad regularitates familie. Et nullus guardianus per obedientiam officij mei in posterum presumat tenere uel ducere in corda alias cathena aliquem fratrem professum nec multiplicare in eodem prandio simul et senes penitenciare nisi excessus subditi esset multum grauis et necessario requireret multiplices penitencias sed peractis penitencijs quin potius statim remittant eos uel aliquibus uiris bonis demulceant. Caueant quoque guardiani et nouiciorum magistri quod nullomodo visitent fratrem in publico de hys que fuerunt reuelata tempore confessionis; quia subditus credit esse in confessione quicquid sibi detegit uel ante absolucionem uel post. Et si redarguitur de talibus (?) in publico, dubitat postea confiteri in futurum in ueritate consciencie et sicut experientia certa didici, perdit fidem confiteri et potius perseuerat in culpa aliqua quam reuelare uelit eidem. Et sunt memores guardiani omnes, saltem qualibet ebdomada cognoscere culpam suam coram fratribus et tunc nullomodo fratres surgant sed sedeant ad modum aliorum flectencium fratrum. Et p vicarius dum uisitat, specialiter inquirat de hoc et puniat delinquentes. Declaratur quoque quod de uoluntate capituli generalis, postquam apostate puniti fuerunt pro apostasia a p vicario gen. uel commissario suo et remittuntur ad prouinciam suam, possunt nihilominus puniri pro alijs excessibus si quos commiserint nisi de speciali gracia per p vicarium gen. aliud scribatur.

2 statutum est quod constitutio prouincie bona occasione aliquando facta que dicit de incarceratione fratris ad conscientiam guardiani pro reuocata imposterum habeatur, cum contrarietur statutis Ordinis et familie, in quibus ponitur quod non fiat incarceration nisi pro enormi et manifesto defectu, sicut declarauimus in capitulo prouinciali. Nullus etiam guardianus sub pena priuacionis actuum legitimorum presumat detinere aliquem fratrem in domo discipline nisi cum consilio discretorum omnium suorum ad... hoc ergo ponat nisi prius protestatur quod excepto quod defectus ipse multum notabilis et mora esset pro... Similiter illa constitutio que dicit quod consueti contendere cum guardiano non eligantur in discretos... sit non quia mala in se, ymo necessaria quam quia male interpretatur ab aliquibus et indiscrete ea

ventibus et nimis late interpretantur; ad quodcunque enim verbum subditi statim puniti. Aliqui (151) multiplicant penas et illum reputant contenciosum qui de iure contenciosus non est. Sint ergo subditi obedientes pro penitencijs impositis et nullomodo in eorum correctionibus respondeant nisi forte de licencia prelati pro informatione alicuius veritatis. Et gwardiani eciam aliquando tollerent pacienter imperfectionem parvam subditi respondentis, quia non est idem spiritus habitantis in nobis in oracione et in refectorio. Paramus enim nos in primo et sepe in secundo impreparatos invenimus.

3 statutum est quod fratres postulantes ire ad presenciam p vicarij uel commissarij sui tandem licencientur per gwardianum et discretos suos. Nec obijciatur eis quod propter hoc habeant peccatum carnis et huiusmodi; complures sint cause recurrenti ad p vicarium. Ipse ergo p vicarius uel commissarius habet iudicare de causa aduentus talium fratrum, quia si non habuissent legitimum causam uel necessitatem, debent per ipsum puniri disciplina publica in loco, ad quem deueniunt, et alia in loco. a quo recesserunt. Sed si iudicio eiusdem p vicarij habuisset ille frater necessitatem spiritualem, vt puta quia indigebat absolucione pro peccato reseruato, pie et concessiue eis admittat aduentum, largam prebeat confidenciam, disponat ad emerendam (?), roget quod sustineat penitenciam que tamen detur cum misericordia et non cum ira uel turbulencia, quia talia sunt occasio repellendi subditos peccantes et eciam in peccato diu perseuerandi. Sint queso prelati in hoc non crudeles sed humani, non duri in concedendo quod frater aliquando eligat confessorem, cum quo confidenter confiteatur, quia non minus stat auctoritas vicarij in rigore suo ad puniendum culpas talium si ad presenciam venit. Contenti sint ergo valde quod cito fratres liberentur a culpa, et sic per se uel per alios absoluant.

Pro firmiori obseruancia VIII cap Regule s

1 statutum est quod nullus accedens ad capitulum prouinciale presumat se de nouo panno induere sub pena priuacionis illorum vestimentorum et sub penitencia discipline faciende coram vocalibus, quia debet sufficere gwardianis et discretis quod eis fiat prouisio de indumentis tempore quo prouideatur alijs fratribus in communi. Similiter statuitur sub pena eadem quod nullus prefatorum presumat tempore capituli asportare uel alibi dirigere

pipere uel species loci uel alia huiusmodi pertinencia ad locum, cumtamen nullomodo talia fieri possunt sine grauamine conscientie et scandalo exteriori. Spoliatio enim unius loci pro utilitate alterius loci uel pro singulari sua utilitate sonat non solum non solum<sup>65)</sup> indiscrecionem sed etiam in culpam grauem. Declaratur etiam quod quando aliquis frater pro necessitate uel utilitate aliqua prouincie uel sua uelit significare aliquid pp diffinitoribus, discreti tales litteras fideliter portent et non tactas uel non visas ipsis assignare (s). quia si aliquis indiscrete scripserit, ipsorum pp diffinitorum uel p vicarij officium est non exaudire ymo punire si excederit modum religiositatis.

2 statutum est quod p vicarius et diffinitores studeant quantum possunt, ne capitulum ipsum prouinciale protrahatur ad plus ultra decem dies ad modum prouinciarum Italie que expediunt etiam in septem, etiam cum numero septuaginta fratrum. Studeant ergo ipsi prefati patres esse summo mane in expedicione sua et post dormicionem et post uesperas sine amissione temporis ad modum quem tenuimus in presenti capitulo. Et sic protractio consweta breuior fiet; et defectus p vicarij renunciantis audiantur secreto a pp diffinitoribus et de preteritis defectibus uisitentur. Si autem uideretur aliquando tucius de aliquo defectu secreto uisitare, possunt emittere alios uocales. Si etiam deponeretur aliquod contra eum, non credatur auctori sed uocetur qui fuit vicarius, ad respondendum pro se ad informandum de ueritate.

3 statutum est quod prefati patres sic instantur utilitati prouincie tam in corrigendo fratres ibi existentes si qui corrigendi sunt, quam instituendo gwardianos et magistros quod in fratribus honorem Dei et eandem prouincie utilitatem ante oculos habeant, nullomodo confirmant eos in gwardianatibus, de quibus insufficiencijs probabitur, nec illos de nouo instituant quos cognoscunt discursiuos, inimicos regularis discipline, crudeles infirmis, deuos a choro, importunos in edificio, curiosos in claustro et huiusmodi. Quia gwardiani qui non sunt primi tam in diuinis quam in claustralibus moribus, nunquam alios debite possunt ordinare. Caueant ipsi patres, ne in hoc aliquam ostendant parcialitatem, preferendo nobiles uel doctos uel amicos insufficientes in spiritualibus ipsis deuotis et zelatoribus obseruancie et professionis nostre; adhibeatur quoque non minor diligencia in institutione

<sup>65)</sup> Bis in ms.

magistrorum, cum prudentes discreti et proveci esse debeant. Ideo quantum possum, rogo et exhortor quod nullus eligatur magister, maxime in locis vbi sunt multi fratres, nisi aliquando fuerit gwardianus uel saltem pro gwardiano idoneus existat. Nec dedignentur tales patres electi ad curam nouiciorum, quia graciosus erit Deo glorioso tale obsequium cum obseruancia completum quam si pedestres in Jerusalem proficiscerentur. Et mirum est valde quod multi non dedignantur promoueri ad confessiones secularium audiendas uel ad predicacionem faciendam eisdem; ymo si non promouentur, sepe dolent et tamen ad audiendos tentaciones filiorum s patris et fouendas spiritualiter animas iam promoti refutant uel spernunt. Debent esse memores prefati patres vicarius et diffinitores quod est ars arcium regimen animarum et per consequens quod non est fletum (?) quod aliquis preficiatur pro magistro secundo uel tercio uel parum post a promocione sacerdoty sui.

Pro firmiori obseruancia IX cap Regule

I statutum est quod p vicarius et diffinitores non promoueat ad officium predicacionis nisi quem viderunt de s scriptura comportenter instructum, quia hoc evangelicum officium, sicut requirit probitatem morum in conuersacione exteriori, sic requirit bonitatem consciencie et illuminositatem scilicet scripture sciencie in interiori, et quia bonitas consciencie et Ordinis regularitas non acquiruntur in modico tempore, sint cauti promotores in capitulo quod non promoueat ad hoc officium nisi in religione steterit per quinquennium saltem, eciam si fuissent docti in mundo, quia cum literatura secularium stat ignorancia morum religiosorum et sepe post altitudinem magisterij conuenit descendere ad discendum alphabetum humilitatis. Mandatur autem ipsis predicatoribus a capitulo gen iuxta declaraciones apostolicas, ne indiscretas indulgencias neque suis personis datas propter euitandam arroganciam et aliorum murmuracionem nec materias scandalosas aut non approbatas uel sacramentales (?) aut profundas presumptuose, maxime quando fundati non sunt vbi labi possunt, predicent, sed iuxta Regulam sint eorum casta et examinata eloquia, predicando vicia et virtutes, penam et gloriam cum breuitate sermonis. Si quis autem in hys excesserit notabiliter, aut a predicacione suspendatur aut grauiter puniatur. Similiter si quis clericus existens, in apostasia sua publice predicauerit, rediens ad familiam non



promoueatur ad vltiores ordines sacerdotij vsque ad triennium post nisi in capitulo aliquid aliud videretur (152)

2 statutum est quod maxima adhibeatur diligencia in promotione ad confessiones secularium audiendas, ita quod non promoueantur secundum amicitiam aut affectum sed secundum sufficientiam tam vite probate quam literature circa casus confessionales, quia inter alia, de quibus et iudicio meo et multorum aliorum agrauantur prelati in conscienciis et plus agrauabuntur tempore mortis. Ipsi vero confessores iam promoti sint cauti, ne habeant mulierum frequentaciones nisi pro necessitate speciali. Et nullomodo prouincie prelati secundum gen. capituli statuta permittant ipsos confessores uel alios fratres fieri directores seu quasi procuratores aliquarum personarum cuiuscunque condicionis existentes seu executores et aduocatos in earum empcionibus uel negocijs et huiusmodi, ipsorum prelatorum super hoc consciencias agrauando seu honorando (s). Nec tempore capituli instituant aliquos gwardianos locorum ad complacenciam talium personarum quando ex aliqua coniectura dubitatur de suspecta familiaritate eorundem.

3 statutum est quod in capitulis sint memores pp diffinitores mandati b. p. Capistrani in eius Constitutionibus, ymo mandati tocius familie nostre, scilicet quod deputentur aliqua loca pro studio fratrum, in quibus abiles (s) ponantur cum dispositione ad s. paginam audiendam et gustandam. Et ibi ponitur quod gwardiani non occupent fratres tales idoneos ad discendum in laboribus corporis et sic in presenti diffinitione ordinaui cum p. vicario quod quando deuenit ad loca visitanda, prouideat aliquem capacem ad docendum, maxime in casibus qui studiose et caritatiue declaret idoneis huiusmodi casus, vsque alias bono et ordinaciori modo in prouincia prouideri possit.

Pro firmiori obseruancia X cap Regule

1 statutum est quod iuxta ordinata in capitulo gen p vicarius instituat tres commissarios, vnum in loco Cracou., alium in loco Poznan., tercium in loco Viln., vt fratres in necessitatibus facilliter habere possint ad eos recursum. Ipsi tamen commissarij nec visitent aliquem locum nec exequantur incarcerationes uel priuaciones officiorum fratrum sed ista reseruent presencie p vicarij, nisi in casu quando talis protractio esset multum periculosa. Similiter ipsi commissarij non presint gwardianis locorum vbi stant de fa-

milia sed intelligantur, ymo sint eis subditi in communi obseruancia, licet in casibus reseruatis uel expedicione fratrum admonencium presint alijs omnibus; et sic debet fieri in veritate. Et Commissarius curie sic precise seruat.

2 statutum est quod iuxta prefata ordinata in capitulo gen. p. vicarius sollicitus sit erga regimen fratrum, ne talibus negocijs occupetur que habeant eum notabiliter addicto fratrum regime impedire, sub onere consciencie. Visitet ergo fratres suos et humiliter et caritatiue corrigat eos. In qua visitacione prebet se communem omnibus et quos non potest effectu reali consolari, saltem verbis consoletur. In correccione seruet requisita et caritatis et iusticie. Nec sic intendat relacioni gwardianorum quod non magis faeat veritati inquirendo. Sit prudens valde in propositis sibi contra gwardianos a subditis et maxime de essencialibus. Et si tandem in ipsis gwardianis inuenerit notabiles excessus et incorrigibiles, eos in consilio discretorum deponat a gwardianatu, sicut est statutum in capitulo gen. Non enim sunt tales visitaciones pro pusillis corrigendis tantum sed eciam pro mediocribus et superioribus si culpabiles reperiuntur. Exhortatur capitulum gen. ipsos vicarios patres quando quod secundum conscienciam necessitatem non habent, tam zelo paupertatis quam zelo caritatis solummodo curru et duobus equis contententur. Et caueant omnes prelati, ne aliquo modo permittant importunas sibi reuerencias fratrum vt puta secundum b. Capistranum in Constitutionibus quod ad mensam non genuflectant fratres quando volunt eis dicere aliquod verbum, quia sapit supersticionis speciem. Ipse eciam p. vicarius uel commissarij seruent Constitutiones familie quoad promouendos clericos ad ordines s., completo quinquennio, ita quod eciam nullus ante triennium ab inducione promoueat diaconus et nullus ad sacerdocium nisi completo quinquennio nisi aliquando notabilis conditio persone aliter swadebit, ita tamen quod nullus eciam condicionatus in bonis ordinatur sacerdos ante triennium in religione.

3 statutum est quod fratres notabiliter reperti inobedientes grauiter puniantur a p. vicario et protestetur eis quod si in posterum non se emendauerint, punientur grauius tanquam contumaces. Non vocatur inobediencia notabilis quando aliquis humiliter excusaret se de aliquo onere imposito uel allegaret impotenciam. Qui tamen onus subire debet propter Deum quando non admittitur sua excusacio a gwardiano, dummodo in veritate possit et non

contra veritatem est... Nec fiat imposterum a subditis, sicut ante hoc tempus aliquando factum est ab aliquibus quod quando non placebat sibi obediencia imposita, inueniebant novas infirmitates uel fingebant impedimenta, nunquam ab eis talia prius audita (?). Non sic amore Dei, non sic sed in omnibus present se fratres humiles et obediunt homini propter Deum. Si autem aliquis incorrigibilis perseuerauerit in regularibus disciplinis et post protestacionem gwardianus de consilio discretorum hunc detinere potest in loco discipline per quinque uel sex dies cum aliqua modestia et austeritate, maxime si non expectatur in breui p. vicarius prouincie. Et quando contingit quod tales proterui et insolentes importune petierint exeundi licenciam de prouincia uel ire ad Conuentum, tandem ad euitandam apostasiam licencientur. Sed tamen protestetur eisdem p. vicarius quod si contigerit eisdem ad familiam prouincie reuerti, pro penitencia vltimum locum tenebit in sessione per sex menses et per duos lauabit scutellas, sedebitque in terra omni f. sexta vsque ad illos duos menses et hoc sit ad comprimendam talium insolenciam.

Pro firmiori obseruancia XI cap. Regule.

1 statutum est quod quicumque frater sollicitus fuerit a socio sequestrari, de quo sit racionabilis suspicio, et accusatus per eundem socium uel p. gwardianum se non correxerit, admoneri debet canonice per p. vicarium uel suum commissarium. Qui si aduc (s) relapsus fuerit, et maxime sequestrando se cum mulieribus, de qua sequestracione talis (?) suspicio perseuerat, destineatur in loco discipline et arctari possit ad dicendum (s) veritatem.

2 statutum est quod in regimine Monialium Tercianarum seruetur constitucio capituli gen. videlicet quod fratres cum illis quoad confessiones earum, correctiones et expulsiones conformiter agant et Regule et statutis familie nostre, videlicet quod incorrigibiles rixose et contenciose expellantur a consorcio aliarum, presertim que sunt sine clausura. Et super omnes et singule caueant longas et crebras confessiones et generales, per quas (152 v) contingit et confessores occupari, confitentes plus irretiri quam spirituales tam seculares, ymo eciam fratres scandalisari. Et confessores contrarium facientes priuentur nec amplius audiant.

3 statutum est quod in capitulo prouinciali eligantur maturi et probati confessores pro talibus Sororibus et maxime in congregacione viuentibus quod ita sunt confessores quod non sint eorum

capellani. Audiant eas tempore deputato et postea stent semper in claustris fratrum nisi quando vocarentur pro speciali necessitate earum. Et nullus alius nisi de licencia speciali p. vicarij sub pena unius discipline presumat ad earum claustra ire uel de factis suis quomodocunque se modo intromittere uel culpam earum audire. Visitentur igitur a solo p. vicario ordinate et corrigantur ab eo vel eius commissario si committit; alij autem temporibus ordinate culpas audiet et corrigat mater monasterij. Possit tamen confessor pro speciali causa vna cum eadem matre aliquam uel aliquas vocare ad recognitionem alicuius culpe et corrigere. Et hec intelligantur de viuentibus in congregacione, quia de alijs separatim in propria domo viuentibus non intelligitur. Audiant culpas earum nisi quando confitentur et possunt fratres ad earum domos ire pro necessitate. Caueant eciam ipsi fratres et confessores sub pena eadem, ne per se uel per interpositam personam procurent pallas seu signacula uel laboricia earum sine licencia p. vicarij. Possint tamen guardiani licenciati prius ab eodem p. vicario disponere per confessorem uel cum eodem aliquando ire ad eas si necesse erit pro reparacione alicuius paramenti in sacristia uel pro suicione aliqua necessaria pro loco. Similiter in casu necessitatum ipsarum confessorum institutorum possunt(s) et debet p. vicarius substituere vnum alium qui in ausencia uel impedimento eorundem suppleat necessitates prefatarum Sororum; alias vt dictum est, nullomodo se intromittant cum illis.

Pro firmiori obseruancia XII cap statutum est

I statutum est quod iuxta ordinata in capitulo generali nullus proficiscatur in Jerusalem nisi de speciali mandato uel licencia p. vicarij gen. et nullus procuret elemosinas pro eundo illuc nisi de scitu p. vicarij prouincie sub pena priuacionis illarum elemosinarum et alioris penitencie ad libitum eiusdem p. vicarij.

Vltimo statuo et ordino ego fr Ludovicus, Minorum minimus vt presentes admoniciones prohibiciones et exhortaciones in omnibus locis habeantur legantur et obseruentur. Et nullus minuatur de eisdem nec addat nisi pro quanto capitulum uel p. vicarius pro maiori reformacione superadderet aliquid ad maiorem religiositatem pro negligentibus et non curantibus obseruanciam predictorum.

Ordinata et declarata in loco nostro s Bernardini apud Craconiā 12 Augusti videlicet in die s Clare a. D. 1488.

## ADDITAMENTUM II.

*Tabula cap Cracov. a. 1520 sub praesidentia M Generalis Francisci Lichetti (Archivum ctus Isidoro Romae 1|131 94v—95).*

## TABULA IN HUNC MODUM SCRIBITUR.

Officialium capituli nostri provincialis in loco s Bernardini apud Cracis a. D. 1520 celebrati. In primis gardianus capituli fr Joannes de Colo, ebdomadarius fr Joannes de Swiathnikj, cor- rektor chori fr Simeon, mgr clericorum; cantores fr Joannes Colen., fr Andreas de Szadek, discretus Casimir.; fr Joseph a Opatho (w), fr Ladislaus, gardianus Radom., in absentia istorum fr Ladislaus, fr Eustachius, fr Thomas, fr Cristophorus de Lino, Lectiones I Nocturni legit fr Laurentius clericus, II fr Sebastianus de Leopoli, III hebdomadarius. Acoliti fr Gregorius de Costen, fr Martinus nouicius, turibularius fr Stanislaus de Leopolie (s), corrector mensae communitatis fr Simon mgr clericorum, lector eiusdem fr Dionisius; lector II mensae fr Petrus de Leczicza cler- icus, seruitores Rmi P Generalis et (95) difinitorum (s) fr Georg- ius de Opatowicze, fr Marianus baccalaures; seruitores aliarum mensarum ante refectorium fr Bernardus de Rawa, fr Allexius clericus, fr Bartholomaeus, fr Erasmus laici; sacrista fr Jeronimus, adiutores eius fr Gabriel clericus, fr Melchior laicus; portulanus erit fr Bernardinus de Kuczkow, adiutores eius fr Aegidius laicus; canaparius fr Stanislaus, adiutor eiusdem Petrus de canapa, fr Petrus de sartoria; mgr coquinae fr Georgius de Opatowicz, coc- us fr Joseph de Lwowek, adiutores fr Mathias, fr Faelix (s), fr Franciscus nouicius, fr Florianus nouicius, fr Albertus de Warscho- wia; infirmarius fr Ambrosius, sacerdos, adiutor ipsius fr Clemens laicus, lotores parropsidum aurige gwardianorum; gwardianus aurigarum fr Joannes laicus; vigiles supra ignem nocte et die fr Zacharias et fr Clemens laici; socy ad ciuitatem fr Lucas, fr Mel- chior, fr Mathias laici. Haec et alia fiant secundum dispositionem Rmi Ministri Generalis.

## ADDITAMENTUM III.

*Breve quadripartitionis provinciae Poloniae Romae 3 VI 1628 (S Ant 92 118—8v).*

Urbanus P VIII. Ad futuram rei memoriam. Injuncti nobis Apostolici muneris ratio postulat ut in id sollicitis studijs

intendamus, per quae religiosorum ordines in Ecclesia Dei militantes prospere dirigantur et feliciter gubernentur. Hic est quod nos paci et quieti ac prospero faelicique (s) gubernio et directione FF Minorum o. s. Fr. Obseruantium prou. Poloniae quantum cum Deo possumus, consulere volentes, ven. fri Joanni Bapt. epo Nolensi, moderno et pro tempore existenti nostro et Apostolicae Sedis apud charissimum in Deo filium nostrum Sigismundum, Poloniae et Sueciae regem, illustri nuncio ac dilecto filio Antonio Stroctio, dicti ordinis professori ac eiusdem prouinciae commissario, per praesentes committimus et mandamus quatenus, consultis grauioribus dictae prouinciae patribus, eandem prouinciam in plures ac quotquot regulari obseruantiae et reformationi communique religionis bono et commoditati conducibilius existimauerint prouincias, assignatis cuique earum domibus regularibus quae eis videbuntur, autoritate nostra perpetuo diuidant ac separent. Quo vero ad reliqua negotia reformationem concernentia, eidem Joanni Bapt., moderno et pro tempore existenti nuntio, similiter mandamus quatenus praefato Antonio commissario ut ceptum opus prosequi aut aliquid nouum statuere supersedeat usque ad ingressum noui nostri et Sedis Apostolicae nuntii, apud eundem Sigismundum regem propediem allegandi dicta, autoritate nostra iungat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non ordinis et prouinciae etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quauis firmitate alia roboratis statutis consuetudinibus priuilegijs quoque indultis et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innouatis quibus omnibus et singulis illorum omnium tenorem praesentium et pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrarijs quibuscunque.

Datum (118v) Romae apud s Petrum sub annulo Piscatoris d 30 Martii 1627, Pontificatus nostri a. quarto.

*Piřsk*

*Kamil Kantak.*